

QW. 235
36

(X 204 43 70)



27.

Ad
VIRUM
AMPLISSIMUM
DN. GEORGIUM
BÖRNERUM,
INCLUTÆ CIVITATIS DRESDENSIS SYNDICUM
OPTIME MERITUM,

Nunc
VIDUUM MOESTISSIMUM,
Hospitem plurimum
observandum,
CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCH,

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻
DRESDÆ,
Literis SEYFFERTINIS,
An. clō Ibc LXXII.





X quo tecum fui, Amplissime Vir, sæpe de senio, quàm id per se grave esset, ipse admodum senex sententiam dixisti. Audivi, quum affirmares, tædere instantium, qui meminisses præteritorum. Inde velut præfragiente animo ad Tuos conversus, exaggerabas causam privati luctus, jamque orbum te exclamabas, priusquam sentiret orbitatem. Haud scio, an quid unquam altiùs in mentem meam descenderit, atque iste sermo, tot querelis suspiriisque immixtus. Nunc enim tuam, nunc uxoris carissimæ vicem dolebas: utrinque animo demisso eras ac malè affecto. Tum valde ingemiscens referebas tot veteres casus, ac vulnera identidem nova. Erat, cum te metu fermè attonitum cernerem: erat, cum in admiratione defixum attentius observarem, ut qui tam iniquo te esse loco crederes, ut assequi non posses, cur vivendi ordinem adeò turbaret ordinis cupidissimum Numen. Hoc magis, quòd eam tibi eriperet vitæ sociam, cui eripi volebas priùs, quamque non sequi tu, sed præcedere optabas. Nempe staturabas, quod homines solent, qui quanto quem prope-

rare

rare ad grandem ætatem vident, tanto censent propius
abesse à suis fatis. Plurimum contra refert, ut scias,
& quum id quidem optimè scias, assiduè cogi-
tes, longè aliter ineundas esse vitæ obitusque ra-
tiones. Ætas saltem ostendit mortale ævum, non
definit. Dei hoc munus est, qui spacium, quod quisque
percurramus, tanquam viatoribus suis dispenlat. Sunt,
quos magnis itineribus proficisci ad se velit: reperiun-
tur etiam, quibus breviores ambitus pro libitu designat.
Omnium, ut vides, una meta est, idemque nisus: tan-
tum apparet progressus dispar in tam dispari intervallo.
Nec secius fuit olim, neq; in posterum secius erit. Omnes
id quotidie cernimus, & tu nunc ipse doces domestico
exemplo. Luges MARIAM SALOMEN, & unà luges
piissimam domus tuæ matrem. Poscis, desideras, quæ-
ris ereptam, quam tibi superstitem, rebus afflictis reme-
dium sperabas, id, quanta poteras, pietate precatus ab
Deo immortalis, ut salvam tibi conjugem præstaret, quæ
tot fidei amorisque exempla præstitisset. Eheu vero
mortalium sortem! Levi momento jaçantur humana
omnia & ruunt. Agit maximus ille vitæ arbiter nobi-
scum velut imperator cum militibus suis. Aspice hos
quæso: adsunt, cum vocantur, & si Dux jufferit, permu-
tant vices, ac faciunt imperata, nil renuunt, nil tergiver-
santur. Illos BORNERIA tua ante oculos posuit sibi,
& imitata rectissimè est, tota mente & animo conversa
in cœlum, unde jussa expectabat imperatoris sui, & post-
quam acceperat, ultrò sequebatur monstrantem iter, ac
tran-

Za 2997 OK

tranquillissime e itatione discedat. His rebus id ar-
depta est, quod caret amittendi metu, quoque nil majus
adipisci potuisset: eo fruitur, quod nulla vis auferet, ac
acerbior casus, istuc venit, ubi sanctissimarum mentium
aspectus reficit ejus meliorem partem, & ut demum
omnia quasi in summa dicam, moriendi legem implevit,
ut consequeretur immortalitatem. Quod Te spectat,
Amplissime Börnere, hæc, obsecro, demittas in pectus,
& quo loco MARIA SALOME sit, id est, optimo fe-
licissimoque, apud te expendas, ac luctui tandem lacry-
misque modum ponas. Est DEUS, qui sarciet hanc ja-
cturam, fulcietq; senectam tuam, & si recte vota ceci-
derint Tibi, ac Genero, omnibusq; tuis, benignissime
concedit, ut diu vivatis, & serò morituri gloriam
cælo inferatis.



Wom

m.c

AN. 235


36

(X2)

Ad
 VIRUM
 AMPLISSIMUM
 DN. GEOR
 BÖRNER
 INCLUTÆ CIVITATIS DRESI
 OPTIME MERIT

Nunc
 VIDUUM MOEST
 Hospitem plurim
 observandum

CONRADUS SAMUEL



DRESD
 Literis SEYFFER
 An. clc lsc L



27

